

Ecclesia est essentialiter visibilis. Minor patet: probatur maior. Elementa haec sunt, institutio Praesidum et Doctorum, praedicatio Verbi, ritus initiationis baptismi, ritus mutuae communionis, Eucharistia ceteraque Sacramenta, professio fidei, et huiusmodi: haec visibilia esse patet. Spectare autem ea ad essentialem Ecclesiae constitutionem et solum cum illis et per illa Ecclesiam haberi posse constat evidenter ex eo quod Ecclesia est a Christo instituta quatenus instituta sunt ea elementa (§. II): ergo. Et sane Ecclesia in his terris est essentialiter medium salutis, est scilicet in hunc finem unice instituta ut per eam et in ea homines credant, ac credentes iustitiam et salutem consequantur: atqui nequit esse medium salutis nisi iis elementis constituatur; ergo si essentialiter est medium, illis elementis essentialiter constituitur: ergo.

Hinc patet vis illius argumenti communis, quo visibilitas Ecclesiae demonstratur ex eo quod ipsa sit medium omnibus hominibus propositum et praeceptum quo solo salutem consequi valeant; est enim medium necessarium, non quemadmodum donum quod a Deo solo confertur; sed est medium, quod libere ab hominibus capessendum est quatenus homines ab aliis hominibus petant et accipiant fidem et sanctificationem: id porro ut fiat, necesse est ut homines Ecclesiam cognoscant, et discernant ab aliis coetibus, sciantque eam esse Ecclesiam Dei; secus enim se ad eam conferre nulla ratione possunt.

Ex demonstratione tradita manifestum est primo, visibilitatem quae Ecclesiae vindicanda est esse visibilitatem intelligibilem qua innotescat ut Ecclesia: secundo, competere Ecclesiae visibilitatem eo modo quo defenditur a catholicis, ut nempe sit Ecclesiae essentialis exterior forma visibilis, eaque sit principium interioris formae gignendae et alendae; forma enim exterior est magisterium, regimen, professio fidei, ritus sacri: porro per haec fides interior et iustitia gignitur aliturque. Atque ita primum Christus vocatione et magisterio nedum interiore sed et exteriori collegit primitivam Ecclesiam, et per eiusdem intrinsecum ministerium, ipso interius semper operante, voluit perenniter adunari fideles. Manifestum est tertio, fidei vel characteris invisibilitatem non obesse visibilitati Ecclesiae; ea enim a) moraliter certa fiunt per se propter professionem fidei et susceptionem baptismi, si non in singulis, saltem universim in ipso coetu: b) certaue simpliciter fiunt in ipso coetu eiusque pluribus membris per exteriorem Ecclesiae formam eo quod divina promissione constat ibi fore veros fideles veraque Christi membra ubi principium est adunationis corporis Christi.

IV. Iam vero ii certe Verbum Dei pervertunt, qui ex Scriptu-

ris illud elicere contendunt quod est tum praeter tum contra ipsas Scripturas; id porro faciunt Protestantes cum ex quibusdam Scripturarum testimoniis probare volunt Ecclesiam Christi veram esse posse invisibilem, nam hoc neque Scripturis continetur, imo ipsis adversatur. Quod adversetur patet ex demonstrationibus allatis, quarum tamen vim negant Protestantes, quia, aiunt, doctrina opposita Thesi catholicae continetur Scripturis. Eorum igitur argumentis disiectis liquebit prorsus eos et praeter et contra Scripturam agere. Itaque perperam provocatur ad verba Ieremiae XXXI, 33. 34. qui oppositionem instituit inter foedus vetus et novum; ubi difficultas est in iis verbis: *non docebit amplius vir proximum suum*; quibus externum ministerium excludi videtur. Porro heic tres characteres proprii Foederis novi recensentur, primus, gratia interior illustrationis, inspirationis et sanctitatis: alter, remissio peccatorum per eandem gratiam. Tertium dicimus esse universalitatem foederis quam ex verbis obiectis colligimus: prius enim foedus privum erat genti Israeliticae, ideoque tantum praeceptum ipsis erat ut suos docerent. Deuter. IV, 9. 10. (Paulus cum LXX verba *proximum suum* transfert τον πολιτην αυτου). In foedere autem novo dictum est Apostolis: *docete omnes gentes*. Iis ergo verbis Prophetiae (non docebit amplius vir proximum suum) non excluditur, ut Protestantes contendunt, magisterium et ministerium extrinsecum, sed limitatio doctrinae seu magisterii ad unam nationem; quae limitatio eo significabatur quod iussi tantum essent Israelitae docere proximum et fratrem suum: unde haec ratio subditur: *omnes enim cognoscent me*. Haec autem optime componuntur cum visibilitate societatis, quacum Foedus in-eatur a Deo.

Perperam quoque provocatur ad verba Pauli ad Heb. XII, 18. seqq. Scopus Apostoli est excellentiam Foederis novi praedicare, ut sic fidelibus augeat amorem suae vocationis, constantioresque efficiat adversus tentationes et persecutiones. Ideo Ecclesiam ab elementis eius nobilioribus commendat, non integram tradit notionem eius vel definitionem. Duplex heic proprietas Foederis veteris indicatur, prima, quod in loco terrestri et accessibili tradita lex fuerit, significaverit proinde foedus temporale, in bonis temporalibus situm: altera, quod signis data fuerit terrorem incutientibus, ideoque fuerit lex timoris (18-21-25). Opponitur duplex proprietas foederis novi: quod nempe sit foedus spirituale e caelo datum (Sion et Ierusalem tropice accipiuntur), per quod foedus communicatio habetur cum Angelis et cum iis qui conscripti sunt in caelis, spiritibusque iustorum (22. 25); atque sit foedus misericordiae et amoris propter sanguinem mediatoris Iesu melius loquentem quam Abel. Unde sequitur quod

oporteat non deesse gratiae Dei, multoque magis oporteat nos in Foedere novo, quam illos in vetere non recusare loquentem Deum. Foedus ergo est spirituale et gratiae; sed hoc non perinde est ac foedus invisibile. Quod vero dicantur fideles accessisse ad civitatem Dei viventis Ierusalem caelestem et multorum millium Angelorum frequentiam, id non perinde est ac coetum fidelium esse invisibilem. Significatur enim quod inter coetum fidelium et Angelorum communio intercedit, eoque ordinantur fideles ut cum Angelis tandem sint beati. Id vero non postulat coetum fidelium in terris esse invisibilem.

Pariter verba Christi penes Ioan. IV, 23, venit hora quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate, oppositionem includunt inter adoratores novi foederis et adoratores Iudaeos ac Samaritanos. Heic adorationis nomine sacrificium significatur (20). Porro Iudaeorum cultus sacrificialis verus tunc erat, sed carnalis, h. e. per victimas carnales: cultus vero Samaritanorum falsus erat, qui adorabant quod nesciebant (22). Cultus sacrificialis Christianorum utriusque opponitur; cultui Samaritano, quia *in veritate*; cultui Iudaeorum, quia *in spiritu*, quatenus victima quae offertur iis est adnumeranda rebus quae spirituales sunt non carnales; cum supernaturalis sit, et spiritum vivificet. At id non excludit coetum visibilem, imo flagitat; sacrificium enim actus est externi cultus, qui in visibili religione locum habet.

Item verba Petri in I. epist. II. 5. vocantis fideles *domum spiritalem*, praerogativam propriam significant Foederis novi, quod sit foedus gratiae, fidelesque sint templum Spiritus S. vitaque vivant supernaturali et divina.

Quid autem docent verba Christi Luc. XVII, 20. Non venit regnum Dei cum observatione *μετα παρατηρησεως? παρατηρησις* est attentata indagatio rei, quae subtiliter observanda est ut cognoscatur, quemadmodum in auspiciis captandis fiebat. Phariseis ergo interrogantibus: quando venit Regnum Dei? respondet Christus non esse opus subtili indagatione ut eius adventus cognoscatur; et rationem reddit, quia iam erat praesens: ecce enim regnum Dei intra vos est, h. e. in medio vestri. Regnum vero Dei heic probabiliter ipse est Rex Christus. Id autem adeo non opponitur visibilitati Ecclesiae, ut potius eam praedicet.

In verbis Christi Ioan. X, 27. 28. Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea: advertite oves describi secundum id quod esse debent, seu oves designari, quae sint perfecte oves: dici autem non perituras

in aeternum eas oves, quae Christum audiunt et sequuntur, et quibus Christus dat vitam aeternam. Unde non sequitur non esse alias oves Christi in ovili Christi h. e. non sequitur Ecclesiam solis praedestinati constare. Advertite scilicet cum Bellarmino (De Eccl. L. III. c. 7) tres esse adhibendas distinctiones, I<sup>a</sup> est: ovis Christi, membrum Christi, filius duobus modis dici potest, h. e. secundum praedestinationem, et secundum praesentem statum. Hinc August. tract. XLV. in Ioan. « Secundum praescientiam et praedestinationem quam multae oves foris, quam multi lupi intus! » Qui vero secundum praedestinationem tantum sunt oves, tales sunt potentia non actu. II<sup>a</sup> Distinctio est: qui actu membrum est Christi potest esse tale vel veritate essentiae tantum, vel etiam veritate finis seu perseverantiae. Hoc modo casuri tandem non sunt Ecclesiae membra. Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis. Ioan. VIII, 31. III<sup>a</sup> Distinctio est: qui veritate essentiae ovis est et membrum Christi, potest esse perfecte vel imperfecte; perfecte qui iustus est, imperfecte qui habet tantum fidem. Iam vero damus quidem secundum praedestinationem iam aliquos esse membra Christi, et aliquos veritate finis et perseverantiae non esse membra Christi; sed negamus quod hoc ipso illi sint, isti non sint membra Ecclesiae; quia aliud est esse in Ecclesia, aliud salutem consequi: quae duo perperam confunduntur; nihilque prohibet vel praedestinatum nondum actu esse membrum Christi, sicut nec prohibet ipsum non adhuc existere: vel eum qui est in corpore Christi non perseverare.

Neque discrimen inter foedus carnale Iudaeorum, et foedus spirituale Christianorum, in eo collocandum est quod illud fuerit visibile, hoc sit invisibile: non enim differunt sicut opposita, et quidem in omnibus, sed ut imperfectum et perfectum, quemadmodum typus et umbra differt ab antitypo et realitate; quomodo vero differant diximus superius.

Praeter argumenta ex Scripturarum oraculis Protestantes ex analogia quoque fidei alia producant, quae huc redeunt, quod Ecclesia dicatur corpus Christi *mysticum*; et quod eadem in symbolo exhibeatur *obiectum fidei*; credimus enim Ecclesiam. Verum quoad I<sup>m</sup> negamus perinde esse mysticum et invisibile; mysticum enim dicitur Corpus Ecclesia eo quod non sit corpus physicum, sed sit societas hominum, eaque supernaturali modo Christo copulata, mysterio nempe simili illi, quo sibi copulavit in utero Virginis singularem humanitatem. Quare hac appellatione significatur supernaturalis character huius societatis, quo ad Christum refertur, non eius invisibilitas.

Ad 2<sup>m</sup> vero respondemus in primis quod non tantum credenda est Ecclesia, *sed etiam credenda est haec Ecclesia*: quemadmodum

Apostoli non solum debebant credere Filium Dei hominem factum, sed illum hominem determinatum esse filium Dei. Neque enim satis est credere Ecclesiam esse aliquam a Christo institutam, sed credenda est haec determinata Ecclesia, quam Christus instituit, credendumque est eam esse veram Ecclesiam Christi; hoc enim de fide est. Et sane tenemur credere, ut ait Suarez (De Fide Disp. IX. Sect. 9), ea quae vera Ecclesia credit: hoc autem est impossibile, nisi certa Ecclesia in particulari credatur. Iam vero ut haec Ecclesia credatur, oportet ut hoc obiectum fidei sit in facto positum, et sensibus quoque demonstrabile; secus enim non potest dici haec Ecclesia. Itaque retorquere argumentum licet hoc pacto: credenda est haec Ecclesia; atqui haec Ecclesia credi nequit nisi sit quoque visibilis: ergo ita est credibilis Ecclesia, ut sit quoque necessario visibilis: et quidem non tantum visibilitate materiali et sensibili: sic enim nulla Ecclesia videretur; sed et intelligibili, ut ab initio Thesis explicatum est. Quomodo autem haec duo conciliantur? Scilicet duo sunt distinguenda, nempe et evidentia credibilitatis, et fides. Cognoscimus sive intelligibiliter videmus motiva seu signa, vel ex ratione vel ex Scripturis quoque accepta, alicui coetui inesse, quae nonnisi Ecclesiae verae competere possunt; sicque cognoscimus evidens esse quod credibile sit hunc coetum esse Ecclesiam a Christo institutam, omnibusque praerogativis auctam quas Christus Ecclesiae suae promisit, cognoscimus enim per haec signa cum certitudine testimonium Dei de veritate Ecclesiae; hinc innixi auctoritati divinae affirmamus eam esse Ecclesiam Dei: quia vero affirmatio innixa auctoritati Dei est assensus fidei divinae, ideo hoc credimus. (Cf. Inst. Philos. Theol. Th. ult. pag. 313).

Piget ea confutare quae ex historia afferuntur. Constat enim Ecclesiam aetate persecutionum semper visibilem fuisse ita ut in oculos incurreret et eorum qui eam ferro persequerentur, et qui eam scriptis impugnabant, et qui ad eam quotidie conveniebant ut salvi fierent. Constat aetate ariana splendidissima fulsisse Ecclesiam visibilitate; et si post Concilium Ariminense miratus est totus orbis se esse Arianum, ut inquit Hieronymus adv. Lucifer., iam patet non fuisse reapse arianum, secus miratus id non esset: eaque Hieronymi hyperbolica locutio huc redit, miratum esse orbem catholicum quod plures episcopi qui ipsum repraesentabant in arianam perfidiam licet imprudentes concessissent.

§. XI.

*Cum Ecclesia sit corpus Christi vivens, duplicem primo putamus distinguere posse in eo vitam, alteram externam et socialem, cuiusmodi competere potest cuicunque bene institutae societati; alteram internam, quae singula membra immediate afficit, vel afficere potest. Ratione huius alterius vitae duplex distingui solet elementum in Ecclesia, interius et exterius, anima et corpus. Corpus vis elementis constituitur quibus forma socialis Ecclesiae continetur, nempe ministerio Pastorum oviumque subordinatione, professione fidei, sacramentorumque participatione. Anima sunt dona interiora fidei et caritatis, gratiae sanctificantis, ceterarumque virtutum. Duplex ergo principium formale distinguendum est in Ecclesia; alterum PRINCIPIUM FORMALE SOCIETATIS, alterum PRINCIPIUM FORMALE VITAE SUPERNATURALIS IN MEMBRIS. Illud essentiale est Ecclesiae ut ea sit societas, mediumque idoneum hominibus pro consequenda iustitia et salute; hoc necessarium est membris ut illud assequantur et sint propter quod ad Ecclesiam sunt vocati. Porro sicut iustitia necessaria non est ut quis membrum Ecclesiae censeatur, ita cum Bellarmino arbitramur occultam haeresim non impedire quominus adhuc aliquis sit Ecclesiae membrum.*

I. Cum Ecclesia sit societas, potest in ea primum concipi vita, quemadmodum in quavis alia recte instituta societate. Porro societas vivere dicitur, cum operatur in consecutionem sui finis; operatur autem cum auctoritas valide et efficaciter regit, subditique sequuntur directionem auctoritatis. Pariter Ecclesia societas visibilis constans praepositis et subditis vivere dicenda erit, si auctoritas praepositorum valide et efficaciter regat fideles, hique eidem obediant auctoritati. Ideoque Ecclesia vivet, si magisterium eius infallibile erit, si potestati eius debita reverentia et obedientia adhibeatur, rectisque legibus et iudiciis subditi gubernentur. Haec est vita quaedam exterior, socialis, competens Ecclesiae eo quod est societas. Anima, si ita loqui fas est, huius vitae ipsa est auctoritas, quam Christus caput Ecclesiae princeps instituit, et qua mediate regit corpus suum visibile.

II. Verum in Ecclesia praeter hanc alia est vita interior quae singula membra immediate afficit vel afficere potest, vita supernaturalis qua edantur opera meritoria vitae aeternae. Haec specialiter intelligi communiter solet cum dicitur vita Ecclesiae. Ratione habita